Stanislaus Kostka

Luceoriensis Collegii Soc. Jesu Festiva acclam

FESTIVA ACCLAMATIO

ANNIBAL PACIFICUS AD PORTAS.

Metropolitanæ Urbis Volhyniæ

CELSISSIMUS PRINCEPS

Jn Korzec, Kalwaria & Olexiniec

STANISLAUS KOSTKA

CZARTORYSKI

Venator Regni, Eques Aquilæ Albæ Radoſzycenſis &c nunc Luceorienſis

PRÆFECTUS

Jn proſpero ingreſſu Luceoriam humili Salutatione

EXPRESSA

à Minima Societate JESU Collegii Luceorienſis, Univerſa Celſiſſimæ Familiæ ampliſſimis favoribus devincta:

Annô quô Princeps Pacis venit in mundum. 1753.

Leopoli typîs S. R. M. Collegii. Societatis JESU

Avitum Decus
CELSISSIMÆ DOMUS



Annibal ad portas Urbis! rumore Quirites
Fama celer torquet, tessera sparsa lues.
Ad portas Lucæ (*) penetrat Pogonia vibratô
Ferrô, quidquid Jo. Luca vereris, ama!
Annibal est fortis, prosternit crimina cursu
Pacificus Judex præmia justa feret.
Ipse celer properat, ducit quo cursus Honoris,
Per Titulos Regni, longius ibit iter.

(*) *Luca pro Luceoria vetus compellatio à Luca Principe.*

SALUTATIO

PAcificum in Metropolitanam Urbem Volhyniæ Adventum Principis, celebratura humili ſalutatione Societatis JESU Minimæ Svada, Celſitudini Tuæ venit obviam Princeps Celſiſſime. Procedis Tu illo paſſu ad ſupremam Luceorienſis Capitaneatûs ſtationem, quô Soles ab ortu, ad meridianam gradiuntur; & minutas literaturæ athomos claritate Nominis attrahis, reſolvis ceu Phænicenſium

ora benevolentiæ radiîs, vehementiâ luminis incendis pectora, ut amore conflagrent corda. *S*i Principes etenim Regnorum ſoles? quid in Te Principe non ad eminentiam ſiderum Primæ Magnitudinis? decurris campum Tuæ Gloriæ, quâ latè patet Polonia cum Magno D. L, plus & ultra limites *P*atriæ Fàmâ circumferente Principem? ac univerſum imples orbem CZARTORYSCIANI Nominis magnitudine. Quoties munificas extendis manus; toties cum ſole diſpergis; ut Patriæ uſibus ſubvenias, egeſtatem Incolarum ſubleves, Majeſtatem ſtabilias, Orthodoxam attollas Religionem. Quod verò fabuloſum eſt de ſole ab Erythreo exoriente; Tu veriſſimam Majorum Tuorum proceſſu nativo, comprobas Hiſtoriam, ab Alto Purpurati Sangvinis progreſſu, ut inextingvibiles Patriæ dies re-

accendas Sidus clariſſimum. Eoſdem hodie invehis Volhyniæ oris in Tuo felici ingreſſu Luceoriam Celſiſſime Præfecte, plusquam bonîs Avibûs; quia hinc Regni, hinc Celſiſſimi Palatinatûs Aquilîs, undique convolantibûs, ut irretortîs ſcrutentur palpebrîs inacceſſibilem lucem, ab obtutibus hoſpitalis vultûs; à Majorum (*a*) Celſiſſimæ Domus (ALEXANDRO MICHAELE & JOANNE CZARTORYSCIIS, Fratribus Sereniſſimi VLADISLAI Regis Poloniarum & Hungariæ) Sereniſſimis affulgentem. Eodem animo mæſtiſſima Civitas Luceoria, Metropolis Volhyniæ autumat, à fatis Celſiſſimi KORIBUTH WORONIECKI *Principis* & Capitanei Luceorienſis Tui Anteceſſoris; Te ſucceſſore unam veniſ-

[*a*] *Privilegiô Regis Vladislai:* Significamus &c. Fratrum nostrorum Illustrium.

 ſe

ſe poſt multos ſerenam diem, conflagratione vaſtata, temporum calamitatibûs deſolata, opportunam, proſpe, ram optatiſſimã. Quæ mens Concivium? cum, reſeratô Caſtrô, diem dicit juſtitia, legum transgreſſoribus; dies vivere contendunt ab æquitate Tua dulces, quietos, perfectiſſimos. Horum ad Coronam Hoſpitum, admiſſa Societas Minima non quæ illam ornet, Tui ingreſſûs feſtivi ad decorem; verùm quæ tenuitate ſtyli, rotunditate dictionis, periodorum ambitu, Tuam Celſitudinem, ceu in nucleo Jliadem, inter Acclamationes feſtivas comprehendat. Ceu in nucleo inquã Jliadem, quia illam CZARTORYSCIANI Majeſtatem Nominis, quæ nullîs arctari terminîs poteſt, nullîs limitibûs circumſcribi poteſt, nulla immenſitate claudi poteſt: ipſâ vaſtitate vaſtior, ſublimitate celſior, profundi-

ta-

tate altior, latitudine remotior, verbô concludam, in latum, longum, ſublime, profundum, omni extenſione maxima. Jmmenſitatem tantam evincunt Heroum rectefacta, quorum Marte defenſa ſæpius triumphavit Libertas; Senatorum conſiliîs promota boni publici ſtabilitas; Miniſtrorum Regni activitate Regum firmata Majeſtas: à Juſtis Probisq; Concivibus, pietate, cultu, reverētiâ, Romana Religio propagata. Jllorum Tu meritorum Princeps Celſiſſime, pro Fide, Lege, & Rege perſolutorum, obvenis ſumma nobis & compendium. Hoc Tua generoſa indoles exhibet ſpectatoribus, quemadmodùm ex vultu legimus; affabilitas civilis ſvadet Concivibus; officium Regni Jncolis Patriæ, qùorum corda in prædam concludis Venator, tacto pectore ſpondet; majores quas de Te ſpes formamus brevi Senato-

re & *P*atre *P*atriæ, pollicentur. Jnteреà dum Capitaneum Luceorienſem agere contendis, ut Themidem reinducas, diu negatā ſubmíniſtres æquitatem, juſtitiam; quæ, & cujus ſint? temporum viciſſitudine neglectam, exhibeas; ſtubam componendis litibus aperias, ad tranquillitatem internam Luceorienſis Diſtrictûs. Quæ acclamationis feſtivæ perſonabit teſſera? unà omnium mente concepta, uno ſingulorum in corde prognata, uno univerſorum ore & unanimi voce propalanda. Fidelem animorum *P*alatinatùs interpretem admitte Svadam Luceorienſem Societatis JESU, cujus Collegii fundus factus eſt, veſter CZARTORYSCIANUS (*b*) gloriamur. Neque repetemus Romanam Auguſtis decantatam; quā ante ingreſſum hactenùs tedioſi produximus.

(*b*) *Hiſt: Collegii Luceorienſis*

*P*hos-

Phosphore redde diem quid gaudia nostra moraris?
Principe venturo, Phosphpore redde diem. Rom: vat:

ex quo serenum, perfectissimæ diei, desolatis exoriens Sidus Jllustrissimũ ante lares universæ Civitatis & *P*alatinatûs reaccendisti, postquam sereniores vultus exhibuisti, nostrorum Hospes desideriorum. Jntermittimus Avium Salve! decantatum per compita, forum & plateas, ratione humana destitutum: aliud conclamare singulari cum humanitate in voto est. Quod illud benevolè inquiris *P*rincipum Gloria? prima facies Salutationis nostræ, Tuæ insinuat benevolentiæ. adumbrabit erudita *P*rothasis, Apodosis contraria declarabit.

P R O T H A S I S.

Parces Principum Celsissime Oratori, qui antequam Tua excurret pressius in Elogia, inducet Annibalem juratum à teneris ad Aras hostem Roma-

norum, victoriîs adultũ, Hectorẽ clarum, & Urbis aggresſorem validisſimũ. *P*lacuit nobis Tuæ indoli contrarium proponere; ut Tua eidem oppoſita virtus magis eluceſcat. Sequimur hac in parte illorum praxim, qui ut Trajanos vocaliûs celebrent clementisſimos, prævio impetu in Nerones ſæviunt implacabiles: ut benevolentiam liberalitatemq; Gratianorum collaudent, in Veſpaſianis corripiunt avaritiam; ut Macedones invictos declarent, profugos perſequuntur lepores. Reſpondebit ab oppoſito *P*acificus adventus Tuus Luceoriam, irruptioni Annibalis Romanum in Jmperium. *A*milcaris Filius hic, Bellonæ viſceribus credidisſes concluſus, ac in lucem editus æſtus bellici, pro ſinu geſtatus in ſcuto, pro faſciis implicatus ſagô, pro ulnis interceptus galeîs, pro lacte nutritus odiîs, ditioni Romanæ veneno-

nosis. His Gradivi educatus lenocinîis, necdum puer exuit prætextam, jam ab impio Genitore deductus ad Aras, ut juramento obstringeretur; quâm primùm per ætatem liceret, contra Romanam gentem arma sumere. Ergò vovit Diis à Patre commendatum facinus, cum victimis totus inextingvibili æstu exarsit iræ, iisdemq; flāmîs usq; ad ætatem adultam æstuavit. Ardebant continuò oculi, tantaq; ex vultu inflāmato scelere emicabat crudelitas; ut si conspectui incenso vicinior Roma objiceretur, conflagrasset stipa in favillā redacta. Neque diu libera ab hac flāma vastatore permansit Urbs munitissima, cùm annis funestus probavit eventus. Ut Herculeum etenim insedisse humeris sensit Annibal robur, ad ferendum non unius pondus diei & æstus, manibus obvenisse dexteritatem, tributum pedibus expe-

 di-

ditum curſum, quô perſequeretur hoſtem, proſtratum conculcaret; pridem voto indictum aggreſſus bellum. Tantus verò vincendi ardor ſingula corripuit membra, ut os reſeratum minùs, vix conclamaſſet, ad arma! arma! manus arma quærerent, raperent, ſtringerent; pedes in hoſtem ruerent, antequam inflammati ſpectârunt oculi; caput galeam ſumeret, reliqua moles corporis, ſagum citra incommodum indueret. Quantũ exerceri viſus Domi? ſic armatus, decertaturus extra Patriam? ſanè exiguô temporis intervallô; à teneris erudita mens temeritate audaciſſima, excluſit moras; ivit, properavit. Quas ſequaces produxit Copias? ultra juſtum Exercitum, cum quo trajecit in Hiſpaniam. Et quia inſperato aggreſſus Marte, etiam validiſſimũ robur Hiſpanicum ipſo metu concuſſum, quas vires opponeret ir-

rum-

rumpenti Annibali, non habuit. Jilas ſi colligere approperavit miles in diverſa ſparſus, undequaq; ab hoſte concluſus tenebatur, apertis limitibus auſui nefario irruptione moleſta, quæ univerſum evertere conabatur Regnū. Quemadmodum rupto aggere inundant margines, trahuntur ripæ, objecta haurientibûs ſcyllîs ædificia, abſumentibûs opes interceptas vorticibùs, ipſamq; fluctibus vitæ humanæ onerariam naufragantium abducentibus, in Charybdes, ſcopulos, in profundum. Huic expoſita acerbiiſſimæ cladi Hiſpania, præter conſumptam annonam, extinctos Heròés; hinc ferrô expugnatas, hinc igne exuſtas, hinc ſtratagemate occupatas amiſit Civitates. Quô verteretur hoſtis Victor onuſtus ſpoliîs? ſolâ incolis, quibus vivere indulſit, relicta ignonimiâ? patefacto aditu, movit per Galliam, iiſdē

armîs deletam, in Italiam; ut serpens flamma Gradivi, cum finitimis Potentiis, Orbis Jmperium, crescente Universi incendiô absumeret. Quò insatiabilis deprædatorum libido properas? non plùs ultra! si potentiam Romani Exercitûs prævenis? quæ te infestantem impediat, avertat, de limitibus proscribat; Natura Parens ab Orbe condito obicem ponit, objicit Alpes, insuperabili montium tractu, ulteriorem præcludit aditum. Verùm enimverò in cassum deterremus hostem impavidū; nequè hoc validissimo ariete passus rejici Annibal; expertus quidem durissima juga montium, non sic tamen per naturæ crassitudinē compacta, quæ artis industria non posset emollire; perfudit acetô, & fluere visa; artificiosum subjecit ignem, & eversa; illo impetu disjecta, quo nec Gigantes Cælum oppugnare fingit Antiquitas. Quisquis hæres? qui accipis

inaudita, non hæret Annibal; per apertum iter, ſubſecuta irruptio. Quia verò occurrentem ſibi invenit Titum Sempronium Conſulem, & hunc apud Trebiam profligavit. Fudit ad Traſimenum lacum Flaminium, cæsîs quinq; ſupra decem millibûs Romanorum. Dederat quidem repreſſalia Fabius Maximus, verùm rurſùs collectîs viribûs Paulum Æmilium, & Terentium Varronem, creatos Conſules, apud Cannas Vicum in Apulia ſuperavit, deletîs quadraginta millibûs peditum, duobûs Equitū ſupra ſeptingentos. Declarant ſtragem hanc tres modii ſupra dimidium annulorum, miſſum Carthaginem ſpolium. Victâ Jtaliâ reſtabat Victori Urbem invadere: ergo eversîs Antemuralibûs, uſque ad Portas penetrat; ſpoliaretq; ſi quemadmodum vincere, ſic triumphare non ignoraſſet; quod ego præ-

 ter-

tereo, cum reliquis geſtis Annibalis, de quibus Livius, & *P*lutarchus. Jllud unicum ſubjicio: quis animus Romanorum fuerat, in tam obſidione graviſſima? vix conclamatum eſt: *Annibal ad portas! Annibal ad portas!* Viſus miles arma Victori ad pedes abjicere, Conſules in ſervitutem abduci, cives ſpoliari, palleſcere Genitrices, quòd ad necem procreaſſent Filios, tanquam ad mortem deſtinari infantes lugere, ſingulos exanimante metu crudeliſſimo. Hæc acclamationē Jnvaſoris ſubſecuta Annibalis; jam ad faventiorem Tui ingreſſûs, quam tenemus linguâ, antequam promamus ore, deſcendit Oratio.

APODOSIS

Adumbratam ingreſſûs Tui celeritatem *P*rinceps Celſiſſime, Caſtri *P*ræfecte Luceorienſis, contrario

An-

Annibalis, ut deducam; à Magnis Tuis Natalibus incipio. Neque à primis Majoribus Celſiſſimæ Domûs qui ipſi ſibi Elogium ſunt; nullâ paginâ concludendum. Unus pro cunctis ad Jncrementum Tuæ Gloriæ ſufficiet pietate in ſuperos, fidelitate in Auguſtos, meritis in *Patriā*, civilitate in Concives, Accreſcens Princeps Celſiſſimus JOSEHPUS CZARTORYSKI Vexillifer Magni D. L. Capitaneus Punſcenſis, Tuus Progenitor amabiliſſimus. Sic ille paratus vixit animô ſemper invictô præferre vexillum Ampliſſimi Ducatûs, ut Heroica virtute Duces anteiret; tranquillitatis publicæ amantiſſimus. Hinc nè inteſtinis abſumeretur motibûs belli Patria, confirmationem Jurium Univerſæ Gentis Polonæ, imponente Diadema Regni AUGUSTO II. Poloniarum Rege Capiti, firmavit (c]

(c) 1697

E ma-

manu. Secesserat plerumq; ad Principatum Kalvariæ, Thaumaturgum Locum, quem incolunt Seraphici Patres, Ordinis Minorum de Observantia ut placato Numine tanquam ab elata specula, Patriæ prospiceret. Ne verò in Posteris deesset perennaturæ Reipublicæ, Connubialî vinculô in fædus advitalitium adstrinxit vitæ Sociam, Celsissimam Consortem TERESSIAM Jllustrissimi VLADISLAI DENHOFF Palatini *P*omeraniæ togâ & sagô, plurimum commendati (*d*) Filiam; quæ sicut amore Numinis arsit TERESSIA, sic connubialî flammâ, totam Denhoffianæ Domûs gloriam derivatam, in Celsitudinem sparsit Vestram. Ab his Genitoribus, in lucem editus *P*rinceps Celsissime in primo ortu apparuisti Orbi, ceù primæ Magnitudinis siderum, Poli Sarmatici *P*arelia, quæ nec Soles pingunt

(*d*) 1674. & 1683.

Se-

Serenissimi. Superabat illa vultûs amænitas, genarum venustas, frontis serenitas, quos splendores, nisi Lucina purpuratîs adumbrasset fasciîs involutos, undique concurrentibûs vicinis præter sanguine junctos, vehemētia claritatis attenuasset oculorum aciem spectatoribus. Non comprehendo allata Celsissimæ Domui solatia Tecum Jnfante Cælis delapso; ausim tamen dicere illa obvenisse, quæ oriente Sole, post caliginosos noctis squallores redeunt Universo. Si Domesticos appello *Penates?* confitentur Fumosas Majorum imagines redivivo depictas affulsisse colore, ab Alto suo *Sangvine*, in Te Prògenie, propagato: Celsissimæ Domùs parietes attolli videbantur, à Tua in cunabulis prostrata Celsitudine: consanguinitatis Arbor, veriùs fabulosâ quæ
gravibus ramîs totum protexerat orbem *Virgilius.*

latius explicari Te nova vite excreſcente. Universa Aulæ Familia, Te ſuum Principem natum conclamabat; *P*rincipatus Hæredem vendicabat; Regnum, futurum Civem & *P*atrem *P*atriæ repoſcebat. Subditi quibus imperares, recognoſcebant; *R*eligio ut Te ſuum clientem haberet, de ſacro levavit Fonte. *P*rincipis nuncupationem non inquiro, juſtum naturæ tributū, quod ſeù orientem ſolem diſtinguit aurora, & cum primis ornatus naturæ dotibus, niſi *P*rinceps naſci nō poteras. *A*ſt quod aſſumpſiſti Nomen cum Baptiſmi gratia? æquè gratioſū, ac glorioſū STANISLAI KOSTCÆ, pignus futuræ gloriæ, quâ implêſti *S*TANISLAUS *P*atriam: os de oſſibus, etiam KOSTKARUM divinâ *A*potheoſi celebratis Olympum fama. Si quando

Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis, Trit.

certè Te comparente, practicatum.

Di

Divinus Tutelaris Tuus Sole Juſtitiæ ſignatus in pectore ſuæ Genitricis Jlluſtriſſimæ; Tu Tuæ Celſiſſimæ, diſtinctus pietate Seraphica. Solea Jlli avita ad ſupremos honores iter tritū fecerat, quos conſequeretur in Patria, niſi hîs omiſſis, ad cæleſtes contendiſſet: Te Soleatus Eques in altum utriuſq; honoris evehit. Crux Eidem Patritia, vitæ præſidium; Tibi Gentilitii Pogonia & Palatinatus cui naſcebaris, ſcilicet Volhynenſis. Societatis JESU ille Socius; Tu ejusdem Religionis Minimæ Conſervator, quà benevolentiâ, quâ favoribûs quà beneficiîs quæ poſſides hæreditario jure Domûs Celſiſſimæ, exhibita. Societatis Noſtræ declarant Annales indelebili charactere annotati per Provinciam Polonam & Lithvanam, præterquàm quòd in cordibus ſcripti, in pectore noſtrûm omnium ſignati; horum quæ-

piam digreſſio declarabit, cum ſingula, nullius comprehendet prolixa expoſitio. Quantùm attinet ad Celſiſſimorum *P*arentum illecebras, de ſua prole æquè Celſiſſima; parū eſt quod in Tuos vultus defixîs plerumq; hærebant oculîs; recreaſti Jndole ſpei magnæ, ex iisdem legebant Te Majorem Maximis adultum fore virum. *P*roinde complectebantur ulnîs, excipiebant ſinu, præ pectore geſtabant, admovebant cordi, afficiebant oſculîs, ſovebant nutritum lenociniîs. Et creſcebas ablactatus corpore, plus dotibûs animi congenitîs ab infantia. Quæcunquè etenim ſolutâ in voces linguâ promebas verba, produxiſti ſermonē veritati loquentium conſonum, prudentiæ eruditorum, ſenum conſiliis. Non diſtrahebant juventutem Tuam pulveres otiô pueriles; cum graviſſimis Tibi ludus erat, ut condiſceres

res

res à teneris, quæ maturus ageres. Vexat alios inertia animi pluribûs annîs, antequam rationis uſu recepto, meliora probent. Tu *P*rincipum Jdea, ut primùm per ætatem licuit, prudentiâ adultos ſuperâſti, verùm non hujus ſæculi. Cum Divino cultui perſolvendo ſtuduiſti, ſæpius ad Deum fuſis precibûs, flexîs genibûs, compoſitîs manibûs, mente uſquè ad Cælos elevata, cujus beneficiô condidiciſti recta ſapere. Inſtitutione ſacroſanctè exacta Celſiſſimorum *P*rogenitorum; ut inviolatas cuſtodires Divinas leges, impleres *P*atriæ, obſervares civiles juratus ad Aras Cuſtos Legum; non odiîs imbutus Annibalis, noceres legi, Regi, Fidei, Civibus, & Finitimis. Ampliſsimi progreſsus Tui ejusmodi, satis equidem docent, quantùm profecisti *N*aturâ, & domestica de industria; quia tamen facilior, eaque

major naturæ per artem expolitio; de annutu Celsissimorum Parentum, ad tractanda studia concessisti Cracoviā. O! felix singularum scientiarum in Regno nostro Academia Parens! quæ Talem aliquando nacta discipulum. *P*lurimum! plurimum! desuper provisum Tuam ad commendationem, cū eruditionis Tuæ concessum ejusmodi sequacem complexa es; Cujus docilitati nihil arduum, nihil capacitati inperceptibile, nihil desiderio perdiscēdi intactum, nihil conatui insuperabile. *P*lerumq; etenim iniqua correptione læduntur, eruditissimi cætus, quod stipites non transforment in Mercurios; cùm tamen destitutum naturæ dotibûs, plusquam difficilè posse per artem perfici: quemadmodum plenissimô etiam alveô Ethiòpem mutare in hominem Europeum imperceptibile est.

Quo-

Quòties in arena illa literaturæ ſunt reproducta, ingenioſi conflictûs certamina, toties Dux Celſiſſimus, præripuit victor Triumphales palmas cōmilitonibus, ſive *P*alladis haſtatæ, ſive pharetrati Apollinis laureas immarceſcibiles conſecutus; inter Oratores cum virga Mercurii cujusvis pugnæ Supremus Moderator. Coronavit brevem inter tædia expectationē Parentum, progreſſus in literis; cum, ſuperatis ingeniô æqualibûs, excitatîs exemplô minoribûs, ad Majora invitatis compoſitione morum ſingulîs, pietate, prudentiâ, experimentalî ſcientiâ, quantū ætas cōceſſerat; domeſticos celebraturus *P*enates, ab eruditis revocatus ad Reipublicæ tractanda, poſt literales ludos, negotia, rediit validior. Quid *P*rinceps Humaniſſime curas *P*atriæ inter, limites ejusdem ſuſcipere cogitas? Soles exteri Te veram Polonæ Aquilæ progeniem

G com-

comprobare nituntur suîs splendoribûs. Sprevit emendicatum lumen quærere in solo & sub sole Patrio, *P*rinceps commendabilis. Noluit alienum derivare, à *P*olo Poloniœ Clarissimus. Si peregrinis etenim aliquid concedendum scientiis est? domi illas condidicit accuratiùs. Videre quidem degens extra Regnum quæpiam curiosô poterat oculô, quid spectaret attonitus non habuit; audire aliis inaudita poterat, quid disceret ignarus, non supererat: totum ex civili conversatione, accurato studio, frequenti lectione, accepit; quidquid cõmendat humanitâtem. Lingvarum affabilitatem si quærimus? cum candore loqueris Germanico, svavitate auditui arrides Gallica. Magis confido, ut nostrum lustraturi solem Exteri, à Te perdiscant liberaliter discurrente, quod ipsi tradere consveverant quæstu-

ſtuòſi: illumq; in Te mirentur genium, qui ſingularum nationum arrideat palato, ſvavitate oris humaniſſima. Jpſa tibi frequens converſatio intra & extra Regnum ad Aulam *Poloniarum* Regis feliciter imperantis AUGUSTI III, cujus perſpecta Majeſtas, voluptate fruitur maxima ex Tuis obtutibus. A profundo ſermone percipit conſilia, cum de negotiis Reipublicæ diſcurris; cum de arte militari? normam accipit, quâ tranquillitatem tuetur *Regni*; cum de legibus Polonis? menſuram ſumit, quâ Polonam conſervet Libertatem. Quantũ Reipublicæ ſolatiũ eſt? par Regũ voluptati, quod Tua eidem in omnibus cõfert negotiatio officioſa. Veneras olim ad Generalia Comitia in theatro noſtri Regni celebrãda Legatus; & quidquid ejusmodi muneris fuerat præſcriptum, impleſti ad literam. Sive e-

tenim Collegio Nūtiorum aderas, admittebaris, & ipſe Nūtius omnibûs numeris abſolutus; audiebaris Superū ad homines miſſus Ablegatus; adorabaris promens pro verbis ore facundo oracula. Sive in Corona Senatorum comparueras; gemmâ ornabas corpus Reipublicæ: utrobique liberè dixiſti pro integritate Patriæ Publicus Oratorum *P*rinceps; pro implendis detonaſti juribus Demoſthenes. *P*ro conſervatione Libertatis Aureæ Gentis liberæ, cui & ſentire quod velis, & velle quod ſentis, liberum veto indulſit, fulminaſti Pericles; denique pro Fide, Lege, & Rege, Cato dixiſti profundè, fortiter, convictivè. Jnſtructionis commiſſæ propoſita cū exponeres; dubium erat, verbane fudisti inter flumina Eloquentiæ exhausta, facundiſsimus? an Hercules Gallicanus catenato sermone, eoque

au-

aureo trahebas attentos ad aſsensum? duxisti captivos in obsequium Tuæ Fidei, juratos in verba conclusisti. Quia verò plerumque atrociùs lingva ferit acinace; nè in verbo quidem læsisti à Tuo pendentes ore; à quibus semper & bene audiebas, hactenus à Sereniſsimo Rege & Republica. Invitatus dein ab Augustiſsima Majeſtate ad ſuſcipiendum Regni Miniſterium, inferiùs quidem Tuîs meritîs, qui prima malis mereri, quàm habere; à Tua tamen Celſitudine ad Principum eminentiam evectum acceptaſti, Venator Regni Celſiſſime. Permittamus Officium hoc inſtitutum, diſtrahendi gratiâ Regiam Majeſtatem curîs *Pa*triæ continuîs publicisq; negotiis occupatam, quæ poſt animi relaxationem, validius tractanda componat, cõpoſita ſtabiliat, ſtabilita confirmet, firmatis proſpiciat, ut *P*atriæ perennet

integritas. Tu interea Celſiſſime Venator venaris corda animorum, Regum, Familiæ, *P*rocerum, quorum concludis affectus pectore. Retia explicent alii, quibûs ferarum greges intercipiant; venatus Tui muneris, in prædam amores tenet civium Patriæ. Extendis manus civilis, & humanitate tua, etiam reluctantes apprehendis; duxiſſes in ſpolium barbarum, ſi hos in caſſes incidiſſet. Nec fragore tubarum, excitata, uſu rationis prædita animalia, quæcunquè ſint, non armorum ſtrepitu concuſſa incidunt, verùm ipſa affabilitate, quoties gratioſé loqueris admonita. Hac Te Venator Regni Celſiſſime cum onuſtum prædâ celebro; vilipendo modios annulorum, quos hoſti cæſo detraxit Annibal. Connubiales Tuoſ ſatis æſtimare non poſſum, verùm illos Fortunæ Tuæ Faber quomodo confeciſti?

pro-

probati amoris certamen obtulit in præmium. Quid voco amoris probati certamen? ſanè certamen, quod pectus ſauciat citrà cruentum vulnus. Sagittarius equidem amor, tamen cū ſagittâ cor ferit, non lædit. Sit et alatus impatiens moræ, non tam ruit, quàm volat, aſt non in hostem, verùm ut advitalitiam consequeretur amicitiam. Cæcum ne crede, quod oculi amoris ſolidi duces, pervenuſtum probant objectum; ad illud fertur, ut complectatur. Nè verò fucatus ſit ipſe, qui potius lædat, quàm amet; quod ſuum habere cupit, quid dico ſuum? unus fieri ipſe, cum unum cor & anima, eſſe nititur; idem connubialî annulô ſignat Cancellarius. Jnviolabilis ponit ſigillum amicitiæ, ſolâ fatorum frangendum inclementiâ, digitos eosq; cordiales redimit & pro gemma inæſtimabile pluſquàm

Cleopatræ Regnô æstimanda, cor adunatum concludit. Quod cum concludit fortunatiore orbita, inter Hymenæi circulos conjunctus amor concinit:

Jam duo concordes animam spiramus in unam Ovid.

quam nutrit flamma à tædis reaccensa æviternùm. Eodem tu incertamine Eques Albæ Aquilæ, Victor, sive victus, cum hoc in conflictu æquè vincere sive vinci gloriosum, desponsasti Tibi annulô in vitæ Sociam Jllustrissimi JACOBI RYBINSKI Palatini Culmensis dilectam unicè Filiam, Legati Pomeraniæ (*d*] Magni Oratoris, Senatoris deinde majoris consiliô, æquitate maximi Judicis & Mareschalci Tribunalitii (*e*) Radomiensis, nec non (*f*) Regni indefessi. Jndefessi inquam, cum nullis parcendo laboribus activitatis; solicitudinis constantiæ, iîsdem fractus, posuit vitam pro justitia, quam administraverat Vice-

regia *P*oteſtate. Hujus itaq; Progenitoris, Nervâ, bonô; Trajanô, optimò, melioris, Prolem duxiſti parem, Celſiſſimam ANNAM Conſortem. Univerſæ illius dotes corporis & animi, gratioſæ ſunt, quæ tota Gratia. Jnter fabulas reputamus tres cõfictas Charites, Aglaiam, Thaliam, & Euphrosynen, teſte Heſiodo; non tot quin plures fingat cum antiquitate posteritas; has omnes de vultu Celsiſsimæ Consortis fas est legere comprehenſas. Facies illius venustiſsima, ridentis Cæli serenitas spectatoribus affulgens, hilaritate festiva arridet, amænitate genarum exhilarat, svavitate labiorum recreat, frontis serenitate favet, acie oculorum vincit, tota cultiſſimum muliebris mundi ornamentum. Quid Græcia jactas Helenam? Sarmatiæ ANNA gratioſior, formoſa ſpecie, donis animi ſuperat *P*ulcheriæ

commendationem. Tantâ eminet prudentiâ, quantam requirit ſcientia rerum agendarum, ſcilicet: & ſequi, quod pròdeſt; & vitare, quod obeſt. Compoſitio illius gravis eodem tramite, quo Religio incedit, à teneris leve nihil, offenſivum nihil, vitiosum nihil, ſequitur. *P*roſequitur ferventi pietate Numina, fovet civilem amicitiam, humanitate certat, benevolentiâ conciliat, reliquas virtutes cuſtode tuetur verecundiâ. Hîs ornata ſuperûm favoribûs, ſi Genitorum Corona Filii? deſideria Celſiſſimæ Domûs coronavit gratioſa Prole. Primum vendicat encomii locum Celſiſſima CONSTANTIA, cujus maximæ dotes, ſuæ Genitricis Ampliſſimæ, quæ & corporis ſpeciē ornant, & animū appretiant. Quæ cū creſcente, dum creſcūt, cōſtabit magnæ *P*arentis, maximā progeniem; quemadmodum vultus pin-

git

git lineamenta, ſignant tenerrima, non vanus augur fingit ſpecies, indicat cõpoſitio; comprobabit eventus. Quia verò Filii plerumq; matrizant, par nobile Celſiſſimorum Fratrum, JOSEPHUS & FRANCISCUS Principes Celſiſſimi, etiam viva Jmago, veriſſima virtutum ſpecies, Tuarumq; Hæres. JOSEPHUS Celſiſſimæ Domûs incrementum gloriæ, *FRANCISCUS* amor *Patriæ*: uterque magnæ ſpei indoles, ad amplitudinem Celſiſſimæ Familiæ, ad Reipublicæ emolumentum, Religionis Sacroſanctæ ad tutelam.

A lenociis Celſiſſimæ Prolis, ad præclarè geſta Celſiſſimi *Principis* concedamus. Jngentia illa quidem nequeunt vocari ad calculum; quia tamẽ tangi poſſunt in parte, ſit fas quæpiam innuere. Quæ Tua Principum Clementiſſime frequens occupatio?

 quæ

quæ Titos decet, deliciæ humani generis, & amor mundi. Succurris miſerorum egeſtati, quos liberalî manû erigis; & cum utramq extendis, ad menſuram Tuæ Celſitudinis ſublevas. Easdem liberalis in ſuperos non ſubtrahis, cujus pietatis nitore fulgent Aræ, ſplendent Divorum Templa, Religioſorum aluntur, Familiæ. Quæ cum Civibus conversatio? quæ Trajanos commendat, humaniſsima. Felix Senatus ab obtutibus illius Cæsaris exclamaſse traditur: o nos felices! idem plaudunt cum quibus verſaris, affulgens ſerenitate frontis, amænitate vultûs exhilarans, oris recreans affabilitate. Ne verò Equeſtri videaris deeſſe ordini, Eques Aquilæ Albæ, Magiſtrum agis Equitum invictæ Gentis, cum quibus ſeù Romanæ *P*halanges, Aquilis inſignitæ inſuperabilì dexteritatê; propugnes commune

bo-

bonum, tuearis libertatem, defendas Patriam.

*Præter alia, ultimum Tibi in votis fuerat, tranquillitati publicæ cõsulere; quia verò animadvertisti Rempublicam sub faventissimo Serenissimi AUGUSTI III. Regis & Domini nostri Clementissimi imperio pacatissimam, soliusq; Celsissimi Palatinatûs Volhynensis in Luceoriensi Districtu lites Concivium, denegata justitia â Castro dolorum Celsissimi KORYBUTH WORONIECKI Principis & Capitanei Luceoriensis in Themidis Castro ejusdem Districtûs, illas componere Præfectus constituisti. Longa mora intercessit, antequàm exequereris, quod Astreæ vovisti, Celsissimo Principe FRIDERICO MICHAELE CZARTORYSKI Cancellario Magni.D. L. à pietate in Patrem inaudita celeberrimô; qui à Genitore acceptavit Procancellarii olim ministerium; ut eundem

K fecis-

ecisset Senatorem; satis felicitati Suæ rbirratus fore optimus Filius, si annuum digitô rotaret, orbitam Fortunæ, Sellam Curulem subjiciendo Genitori Venerando. *P*ostquam tamen pari amore prosequendo Te Sanguinem suum, iberè Tibi cessisset *C*apitaneatum, quam acilitatem bene merebaris de Jllo, & de Augustissima Majestate gratiam; è vestigiô ad effectum deducis, quod pridem proposueras. Quid est *P*rincipum Maxime? quod non statim à fatis *C*elsissimi KORYBUTH sis declaratus, Favore Regio *P*ræfectus? ne fatô dicereris præesse, quem merita præmiarunt. Fortiùs illud argumentum: ab initio Tuæ Prosapiæ à KORIGEŁŁO propagatæ, ejusdèm Nepos (*g*) THEODORUS CZARTORYSKI Dux in Klevan egit *P*ræfecturam Luceoriensem; longa serie alii eandem gesserant *P*ræfecturam, jure successionis cujuspiam, liceat dicere; ut

er-

... Domus Celsissimæ

ergo ceu hæres ſuccederes, à Principe CZARTORYSKI repetere debueras quod non una ætate Veſtri muneris erat CZARTORYSKI & Honoris. Nec poſtremum illum exiſtememus, audiamus Caſſiodorum (*h*) *poteſtati Præfecti Prætorio nulla dignitas eſt æqualis, quæ ſecundas partes poſt Cæſarem gerere inſtituta* Tua Dignitas, Vice-Regiam exercere poteſtatem delegatam. Optimè factum exiſtimem? hanc Tibi obveniſſe poteſtatem, quam Princeps Celſiſſime partitam, exerces cum Regibus

Diviſum Imperium cum Jove Cæſar habet. Rom. Vaſt:

Tu cum Auguſtiſſimo in parte com miſſum adminiſtraturus juſtitiam, veniſti Capitaneus, qualem præſcribit Lex publica (*i*) *Poſſesſionatum*. Altera [*k*) *ætate & diſcretione benè vigentem*. Ex utroq; Cæſar es, quod multarum Hæreditarius Dominus ſis Ditionum? Principatus Ko-

(*h*) lib: 5. (*i*) Conſt: 1673. [*k*] Conſt. 1602,

recensis, Kalvariæ & Olexinensis perhibet: annus vitæ necdum quadragesimus, infractas commendat vires, discretionis, quæ supremos decent Judices. Mirum est quod æquales usibus Patriæ diutiús alii servent; Tu illas exerere paratus, in emolumentum Palatinatûs Celsissimi Volhyniæ, quamprimum licuit venisti salutandus, antequam à nobis salutari poteras justô encomiô. Qua de causa audire vis benevolè? citra offensã sit, respondet Orator: utriusq partis vitio; Tuo? si dîcendum est vitium: quia non poteras, propter amplitudinem Domûs, Tuorumque mèritorum; nostro? quia tenuitate Svadæ satis laudari non poteras. Verumtamen si publica privatis anteponenda? ultrò ad Purpuram Principis erubescimus, & quod non valemus prœstare, Tuo applaudimus studio subvenienti absque mora œquitáti.

Ma-

Malumus indulgentiam conſequi, eamq; ab innata expectamus Clementia; quam in adminiſtranda juſtitia Diſtrictûs Nobiliſſimi, pati înjuriam. Nobis ſatis ſupererit temporis, (Numina concedant in annos plures) Religionis Minimæ Oratoribus, Tuam adorare Celſitudinem: Jus æquitatis moram non patitur, ut Tua activitate revocetur intermiſſum. Ingrederis itaq; ſic commendatus virtutum meritorumq; Tuorum præſtantiâ, in Metropolim Volhyniæ Urbem, Præfectus Caſtrenſis; quæ concurrentium feſtiva Civium acclamatio? Audire mihi videor! exquò Avitus *Pogonia* ad portas supervenit, præter Caſtrenſem, ad geſtientium animorum, manus sinuatas in arcus triumphales, unamore omnium uno, & ex corde uno, erumpentem teſſe-

ram: ANNIBAL ad portas PACIFIFICUS! ANNIBAL ad portas PACIFICUS! Timorisne? amorisve rumor per Urbem creſcente famâ crescit? evaginatum ferrum horrorem incutit, cum quo jus gladii illatum deterret. Quid dicere præſumo deterret? perſtringat ſcelera, noſter ipſe Te metus amat, quo proſcribas crimina, defendas æquitatem. Amoris crede ſermonem elatum, quem ex abundantia cordis, ſingulorum ora declamant: quid noſter ANNIBAL ad pòrtas hæres? ſubintra apertum pectus! cordis Regiam occupa! veni & impera. Neq; à nobis confictam hanc crede ſalutationem, vultibus ratam lege Procerum Nobilium, vulgi, & Noſtris. Jlli Concives Regni, cùm Te talem nacti Concivem ſunt; perennitatem pollicentur Patriæ, à Tu-

is consiliis, quibus reguntur Regna. Nobilitas, cum palam loquitur Capitaneum; à jurgiis abstinet, altissimo Tuo subjicienda Judicio; sedandas relinquit lites, componendas Tuo in competenti Forò, expectat discordias. Vulgus declamat Civitatis dosolatæ Jnnovatorem! amissarum opum Recuperatorem! conquirendarum Protectorem. Nobis Religiosa intercipit verba modestia; hinc non ascendimus super tecta, non clamamus diductîs faucibûs; verùm cum & menti non desunt sua verba, proni elevata mente Celsitudinem Principis attollimus. Quantùm tamen demissio permittit loqui, promimus voces: Celsissimus STANISLAUS KOSTKA CZARTORYSKI Princeps in Korzec, Kalvaria, & Olexiniec, Capitaneus Castri

Luceoriensis, Majestatis Augustæ decus, Familiæ honos, Domûs Celsitudo, Patriæ Civium *P*rinceps, Equitum Hector, Legum Custos, Æquitatis *P*ropugnator, Libertatis Defensor, Tranquillitatis Conservator, Amor Populi. Né verò & hæc verba cum aura evanescant, eadem mandamus typo; ut mutus sermo character, loquatur posteris ad perpetuam rei memoriam: Te *P*rincipem Clementissimum, Judicem æquitate præditum, pacis publicæ *P*ropugnatorem, stetisse aliquando ANNIBALEM ad portas; ast PACIFICUM, Metropolitanæ Urbis Volhyniæ, eamque subintrasse, in Castro *P*ræfectum imperasse; ut ejusmodi viros habere à Diis Judices, Palatinatus exoptet, sæcula expectent.

DIGRES-

D I G R E S S I O.

CUm à festivo ingressu Tuo, has de Te spes nostras formámus Præfecte Celsissime; ne vehementiâ lætitiæ obruamur, quam corde ferre non valemus; ad Majorum Tuorum laudes excurrimus, ut violentiâ tripudiorum, ab una felicitate Tua affecti, temperemus nostra solatia, eorundem distracti laudibûs. Neque hìc mihi ab Origine longa Celsissimæ Domûs texere Panegyres, in voto est, quas fasti non concludunt sæculorum, attingere quidem possunt, comprehendere non possunt. Ergo non unius ætatis & illum laborem prætereo difficilem, perinde ac impossibilē nullo conatu superādū. Nequè colligata Nōina cū Illustrissimis, Celsissimis, Eminentissimis, Serenissimis Familiis multiplicabo, quæ CZARTORYSCIANA complectitur Arbor consangvinitatis una nemus. Quisquis vestrū leget impressum Nomen, in cognitionem veniet, cum Primoribus Regni amplissimam Domum junctam sangvine; quæ ipsa, Equestris Ordo, Senatus, & Respublica est. Quàntúm tamen breve salutationis folium capere valebit, datæ digressionis ergò, Quospiam oratio CZARTORYSCIOS loquetur.

Primus obvenit FLORIANUS CASIMIRUS CZARTORYSKI Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus Regni, & Magni D. L. Primas Primusq; Princeps & Pro-Rex post fata Serenissimi MICHAELIS. Laudes illius à nostræ Societatis Scholis Luceoriensibus ordimur; in quibus prima tanto cum studio eruditionis posuit fundamenta, ut in Romano Collegio sublimioribûs excultus disciplinîs, Præside Joanne de Lugo Societatis JESU, deinde S. R. E. Cardinale Lauream (*) mere-

(*) P. Kwiatkiewicz. S. J.

M

retur Doctoralem. Admirandam illius ſcientiam, Roma ſcientiarum ſedes, magno accepit plauſu; majorem proſecutus ſanctitatem URBANUS VIII Summus Pontifex: utrumq; maximò coronavit encomiô in datis ad INNOCENTIUM X. Sereniſſimus JOANNES CASIMIRUS: *ea ſcilicet generis claritudine fulget in Regno noſtro CASIMIRUS CZARTORYSKI, ut minimè nòs latere potuerit ejus probitas, doctrina, & cæteræ egregiæ animi dotes; quibûs Urbis oculos, cum ibi ſtudiorum cauſâ ageret, in ſe converterat &c.* Et meritò commendavit tantò Elogio, in Sacrario Orbis conſecratum Sacerdotem, cujus probitatem, peractîs in domo Lauretana tremendi Sacrificii Primitiîs, in Poloniam reducis, comitabantur miracula, Corporis Diviniſſimi BONIFACII Martyris, oblati à Cardinale BARBERINO, in pignus amoris probatiſſimi, quô ferebatur Princeps S. R. E, in Polonum Principem; à quo idem illatum (*a*) ſolenni cum pompa in Principatus Clevanenſis Metropolim, cultui publico proponitur. Sacræ verò exedræ Doctorem ſacerrimum, & virum Apoſtolici zeli magnum celebrârunt. Scriptores (*b*) *Præſulem connexualem*, poſtquam ſciſſam Rempublicam ſub vinculo Generoſi Swiderſki, in Commiſſione Olborienſi & Leopolienſi, vinculô conjunxit animorum. In Societatem JESU ſemper munificus, qui præter liberalitatis profuſæ beneficia Collegio Ravenſi (*c*) numeroſam ſatis Bibliothecam inſcripſit. Domui verò Probationis Cracovienſi ad Sanctum Mathiam (*d*) Sedem Sapientiæ, Thaumaturgam Imaginem MARIÆ Majoris; cujus

(*a*) *Hiſt: Coll: Luce: S. I.*
(*b*) *Kochowſki.*
(*c*) *Hiſt: Coll: Rav: S. I.*
(*d*) *Hiſt: Dom: Prob: S. I.*

altitudine

altitudine scientiæ Religiosa juventus nostra imbueretur; in majori Ara colendam addixit: Ecclesiæ Romanæ fulcrum, Pater Patriæ, nostræ Religioni Princeps addictissimus.

ALEXANDRI Principis CZARTORYSKI Palatini Volhyniæ laudibus non immoror, quem AUGUSTUS I. satis celebrat: *Maximum ingeniô, prudentiâ, fortitudine, probitate, ac fide constanti in Regem & Rempublicam.* Ingenium & prudentiam probârunt consilia, Senatus testis; probitatem Divorum cultus exhibuit, fidē in Rempublicā unione Magni D. L. firmavit, in Regem, amor Majestatis, cujus meruit elogium. Fortitudinem præclarè gesta contra Tartaros [a] quorum ultra quatuor viginti millia ferrô prostravit, Imbraim cæsô Bassâ, & octoginta millia mancipatorum in libertatem reduxit. Quid numero Domûs Celsissimæ merita in Regem & Rempublicam? notârunt Fasti Patriæ nunquam obliterandi. Nostra nobis exhibita, à Vobis CZARTORYSCII Celsissimi Principes beneficia incumbit enarrare, ne inter religiosos parietes conclusa lateant, & nos à Posteris arguamur ingrati.

Quantum itaq; permittit styli tenuitas, dulcis recordatio se se insinuat Celsissimi GEORGII Ducis in Klevań Amplissimi Benefactoris (b) Collegii Vinnicensis Societatis JESU; sed & hæc beneficia cū Poloniæ Corona (c) celebret; Beneficiorum Collegii nostri Luceoriensis lucubrationem tractandam suscipio. Magnus ille Princeps benevolentiâ cum nūc undè obtineremus; quo loco primum lapidem fundandi Collegii poneremus; & aream cōcessit (d), & Palatiū donavit; un-

Privilegium Aug: I.
(a) *Kojalowicz* 1527.
(b) *Argentus de rebus Soc: JESU.*
(c) *P. Niesiecki S. I.*
(d) *Hist: & Coll: Luce: S. I.*

de fabrica assurgeret, ad Majestatem Celsitudinis Benevolentissimi Principis. Quia verò non erigitur moles sumptuosa, nisi profuso ære, & illud liberaliter suppeditavit. Hos cùm experimur amores Principis, odium incurrimus Schismaticorum; quibûs favente die solidamus fundamenta lapidibûs, nox invida eruit. Parùm est: invaluit Schismaticorum malevolentia, ne dies quidem labori quietos indulsit, cui noctes eripuit: malè sibi, nobis benè, opinantibus schismaticis, quod Gentem illorum numerosissimam [ultra sexcentos etenim (a) Catholicos non numeravit Volhynia] venimus Romani (probavit eventus) ut tolleremus. Tantum nobis iniquos tumultus, Numini supremo impios, ut invictus Princeps sedasset, seditiosos averteret, aversos à temerario ausu impediret; advolat stipatus milite, ponit excubias, rejicit infensum Orthodoxæ Fidei hostem, impedimentū amovetur labori, promovetur opus, consurgit Frabrica. Iamnè extra-ictū positi stetimus? ferimur atrociùs lingva acinace, famam proscindente, acsi à veritate tradamus dogmata aliena, cum Orthodoxæ Fidei proponimus. Et hanc benignitas Principis à nobis avertit correptionem; diem indixit disputationi publicæ in Cathedra Castrensi, hodie Græco-Unita. Fit concursus, descendit ad certamen, defensurus Romanam Fidem, Societatis nostræ P. Sigismundus Obricius, oppugnaturus Pseudo Doctor Kijoviensis à Generoso Basilio (cujus consultò parcimus nomini, sit Anonymus) invitatus, acerrimo & ipso Schismatico, in Civitate hæret, venire recusat, disputare non impetratâ veniâ Patriarchæ Constantinopolitani renuit; ex urbe clàm aufugit. Quid agit

(a) *Hist: Coll: Luce: S. J.*

Princeps

Princeps Catholicus? pro nobis concludit Orthodoxis victoribus, antequàm pugnavimus, à Basilio confuso, collaudante Corona Nobilitatis frequentissima, pretium duorum millium pactum repetit, victoriq; offert Obricio; ipse devinctîs sibi nostrîs cordibûs, trophæo contentus gloriæ.

Eandem benevolentiam qua in nostram Religionem, cum sangvine transfudit in Filium, Celsissimum NICOLAUM Principem in Klevań CZARTORYSKI, Palatinum Volhyniæ, pietate & meritis æquè gloriosum. Fundaverat Celsissimus Genitor Parochiám Klevanensem, Filius ad Præposituram evexit. Parens obtulit cum fundo Aulam, ut fieret Collegium Luceoriæ nostrum; Natus, suburbii fundos CZARTORYSCIANI vastissimos inscribit; [a] quorum proventibûs *R*eligiosæ aleremur personæ. Quos non impendit labores pro Patrià & communi bono? administravit Iustitiam Deputatus Iudex [b] Tribunalis *R*egni, stabilivit consiliîs Legatus ad Generalia Comitia (c) prosperitatem *R*egni, defendit Hector integritatem *R*egni, Tartarorum & Svecorum terror. Utrumq; celebratum primô sæculô *R*eligionis nostræ [d] encomio: *si ipse fingere vellet, neq; plura bona reminisci, neq; majora posset consequi, quàm illi virtus & natura tribuerunt, liberalitas & prudentia, magnanimitas, omnia quæ stirpem Regiam deceant. Esse pium, & castra sequi posse, docuit Societatis JESU amantissimus, eam ita complexus, ut benè faciat &c.* O summam encomiorum CZA*R*TO*R*YSCIANI Nominis fovendam pectore *R*egum! æviternùm retinendam in Fastis Patriæ! no-

[a] *Hist: Coll: Luce: S. I.*
[b] 1625.
[c] 1633.
[d] *Piglowski.*

ſtris cordibus aſſervandam/ ad imitationem tradendam poſteris.

Totam implevit illam à Majoribus tranſcriptam in ſe Celſiſſimus Princeps in Klevań & Zukow AUGUSTUS ALEXANDER CZARTORYSKI Palatinus Generalis Terrarum Ruſſiæ, Eques Aquilæ Albæ, & Sancti Andreæ, Præfectus Generalis Terrarum Podoliæ, Pater Patriæ, Frons Senatûs prima, Equitum fortitudo invicta, æquitas Iudicum, Amor Regum, Religionis Gloria. Quos pro Patria labores non ſuſcipit? cum Fortunæ jactura, cum virium detrimento, vitæ cum diſcrimine, nullis parcit ſumptibus, ut Regni opes multiplicet; nullîs frangitur incommodîs, ut libertatis integritas perennet; nullîs deterretur periculîs, ne Reſpublica hoſtem pertimeſcat. Iuvat Senatum conſiliis ſaluberrimis, dexteritate Polonum Martem animat, æquitatem Iuſtus promovet, Probus tuetur Religionem. Illius plurimùm debet Patria ſolicitudini, quòd ab armis conquieſcat; qui & internas componit Reipublicæ diſcordias, & Gentium avertit extraneas. Illud ſingulare: tenet devincta Civium corda ſumma humanitate, offenſas diſſimulat benignitate, averſos flectit lenitate: omnium in ſe convertit oculos ſpectabilis, & ora, prædicandus. Quantùm vero vicinus ſangvine Regibus, non plùs diſtat Purpurâ, à ſolio, ſede curuli Senator, ab Aureo Vellere Eques. Cum Throno aſſidet, quem firmavit, adhæret cordi majeſtatis Auguſtæ, cujus poſſidet pectus: hinc quos meretur favores, intimi affectus probant. Maximas illi noſtra Religio debet gratias cujus Provinciam Polonam & Lithvanam afficit beneficiîs, favoribûs proſequitur, Majeſtate tuetur, auctoritate protegit.

Heu

Heu ludimur! ludimur! hoc brevi contextu laudum, Tuæ Celſiſsimæ Domûs Princeps Celeberrime cùm diſtrahitur Orator, vitatâ Charybdî in ſcyllas incidit; quarum inexhauſtâ immenſitate abſorbetur. *R*eſtat non aliter in *P*rocerum diffundendis laudibus millena vitare Ponti pericula; & Tuum ad felicem ingreſſum, temperare lætitiam; quàm finem imponere dictioni, nè incidat in naufragium.

P E R O R A T I O

PEnetravit ad portas uſq; Urbis Annibal, nec majorem intulit cladem cæsîs Semproniîs, Flaminiîs, Fabiîs, Æmiliîs, Terentiîs, Conſulibûs, proſtratîs militum quinque ultra quinquaginta millibûs, fugato exercitu, eversîs fortalitiîs, conſumptîs prædiîs; quemadmodum incuſsit terrorem *R*omanis ſuborto per ædes, forum, & plateas rumore; *Annibal ad portas! Annibal ad portas!* Illô etenim invaleſcente, plorabant liberi, rigeſcebant Genitrices, emoriebantur viri, miles in deſperationem agebatur; univerſi Cives tabeſcebant, ultimo ſpiritu per auras aufugiente, ab exuviis corporis horrore concuſſi inſperato, inaudito, acerbiſſimo.

Exquo Tu Præfecte Celſiſsime ingrederis Luceoriam, oppoſita reſonat teſſera: ANNIBAL ad portas PACIFICUS! ANNIBAL ad poras PACIFICUS! invehit tranquillitatem Oris, Urbi, Palatinatui. Hinc alacriùs Coloni aratrô ſcindent glebam, Tuo proſcribente Pogonia agrorum vaſtatores; Cives ſecuriùs promovebunt negotiationem, avertente damnificatores; Celſiſsima Volhynenſis Nobilitas componet inimicitias, dirimente lites; ipſa ſcelera plectentur juſtitiæ gladiô, virtutes præmiabuntur. Et quia

eadem acclamatio per ſingulorum creſcit ora ab incremento Tuæ gloriæ tantâ perfundimur lætitiâ, quantam frequentia intelligit Hoſpitum, ego in animo concipio; efferam quibûs verbîs exprimere nequeo. Quantùm tamen ſpectamus oculîs, auditu percipimus, loquimur. *P*laudunt manibûs infantes, cum linguâ non valent; adventum Principis loquuntur pueri, gratulantur Adoleſcentes, adulti celebrant, venerantur ſenes. Plurimùm etiam ſuæ felicitati ducunt & res inanimæ; aſſurgunt ædes in quibus verſaris, cum Celſitudinem Tui Nominis O Princeps! non capiunt; Curia ſuo jure gaudet, quod reinducis *P*ræfectus; gloriantur Templa, quorum Divos invocas, ut faveant *R*egimini. Favebunt! indulget AUGUSTUS III. *R*ex Faventiſsimus, pro adminiſtranda æquitate, eminentioribûs præmiaturus titulîs Præfectum; Ampliſsimos Senatus expectat progreſſus in Patria; Celſiſsima Domus ſuis majoribus pares exoptat honores; Equeſtris Ordo parat Trophæa, populus perennem appromittit memoriam. Quod Societatis noſtræ votum eſt expectas *P*inceps Celſiſsime? idem quod expoſuimus ad mentem *R*eipublicæ. *P*ro Coronide, Luceorienſe Collegium Celſiſsimæ Domûs auctum favoribûs, Conſervatori ſuo, *P*ræfecto Celſiſsimo, cum auge Titulorum, Regum favores, ampliſsimos *R*eipublicæ honores, Civium Patriæ amores, ad rectefactorum Gloriam immortalem Vovet.